



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in  
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria  
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

Quo Praeter Varias Ac pervtiles Additionibus praecipuis & in foro  
potissimum occurentibus Tomi primi Quaestionibus annexas, etiam S.  
Rotae Romanae Decisiones Novissimae De Eadem materia editae, &  
singulari studio selectae continentur - Hac postrema editione  
praecedentibus duobus Tomis primum additus

**Chokier, Érasme de**  
**Coloniae Agr., 1684**

Ad 1. partis Quæst. 1. Additio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61921](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61921)

Ad. 1. partis Quæst. 1. *Additio.*

Quia exemptio definitur liberatio à jurisdictione Ordinarii, non otiosè hoc loco quaeritur de quonam ordinario id intelligendum sit: nam ordinarii nomine pluribus commune est, in qua quaestione dicendum primò & per se intelligi de Episcopo ejusque Vicario, à cujus jurisdictione omnes exempti liberati sunt, præterquam in casibus specialiter à jure & præcipuè à facto Concilio Tridentino Episcopo reservatis, quos latè recenset *Fagnanus in cap. grave. num. 57. de offic. ord.* Secundariò autem nomine ordinarii comprehenduntur Archidiaconi, & Archipresbyteri, alique si qui sunt Episcoporum Coadjutores, de quibus per *D. d. in cap. 1. de et. & qual.* Nam si exemptio liberat à potestate Episcopi tanquam principali, utique liberabit etiam ab accessoria Archidiaconorum & Archipresbyterorum jurisdictione.

Neque hic nomine ordinarii excludendi sunt illi, qui quamvis ordine episcopali insigniti non sint, jurisdictionem tamen episcopalem habent, de quibus *vid. gloss. in elem. 1. §. volumus in ver. diocesis. de foro compet. & ibi Abb. num. 15. Felin. in cap. cum olim num. 1. vers. secundo lumen. de præscrip.*

Undè nascitur quaestio, quid dicendum in casu, quo aliqua Ecclesia regularis simul esset Cathedralis, uti contingere potest & obvium est in pluribus Ecclesiis Hispaniarum, de quibus *Barbosa de can. & dignit. cap. 1. num. 11.* Vel ubi Abbas in loco aliquo haberet territorium separatum cum jurisdictione episcopali: an videlicet tali casu Monachis vel Canonicis regularibus talis Ecclesie in aliquo profuit exemptio, ut per eam possint dici ab ordinario liberati. Super quo dubio aliàs in Roma responsum fuit, non prodesse exemptionem nisi quo ad regularia instituta, ut in *decis. 157. coram Coccinno & decis. 144. num. 334. part. 12. recent. & dicit author infra part. 5. quæst. 39.* Alibi tamen sacra congregatio concilii clarius distinxit duplicem talem Prælatorum personam, dum respondit Prælatos regulares nullius diocesis, & habentes jurisdictionem quasi episcopalem posse exercere omnia illa in regulares exemptos intra suum territorium existentes, quæ ex concilio competunt locorum ordinariis contra alios exemptos, uti refert *Fagnan. in capit. accedentibus num. 40. de excel. Prælat.*

Quæres an ad exemptionem requiratur immediata subjeccio Apostolicæ Sedi? R. negativè, alioquin enim nulli regulares verè exempti dicerentur, cum ipsi loco Episcoporum suos habeant Prælatos regulares, ut notat *Federic. de senis cons. 145. num. 2. & 7. Abb. in cap. cum ab Ecclesiis num. 10. de offic. ord.*

Quid autem profuit exemptio his qui in Urbe Romana & ejus districtu habitant, cum ibi Papa sit ordinarius loci simul & ordinarius exemptorum. *Can. multa distinct.*

*distinct. 93. gloss. in cap. auctoritate §. inbibemus de privilegiis in 6.* Colligitur ex dicta  
 consideratione pontificalis officii diverso modo & diverso respectu exerciti: Pri-  
 enim triplicem gerit personam; nempe est universalis Ecclesie Episcopus *cap. sup.*  
*Urbis Romae. Can. statuimus distinct. 4. can. 2. cau. 5. quest. 4. §. 1. vltor. cod. de*  
*sum. Trinit. Est denique ejuldem Urbis Episcopus. & D. Cæcilianus. Can. si quis E-*  
*pisopus cau. 2. quest. 6. Archid. & Ioan. Andrea in Rub. de constit. lib. 6.* Porro uniuersa  
 talem in Ecclesia jurisdictionem Papa exercere solet per eum, quem hodie in Curia  
 Auditorem Camera vocant, qui est iudex ordinarius omnium appellationum, que  
 a sententiis quorumcumque ordinariorum ad Sedem Apostolicam interponuntur, que  
 ut in *Bulla 28. Pauli V. incip. ad eximiam fidelitatis §. 10.* A cuius proinde iudicio  
 jurisdictione neque regulares, neque alii quicumque exempti liberi sunt, de quorum  
 causis & excessibus data est ei facultas plena cognoscendi & decidendi, ac culpabiles  
 puniendi; ita tamen ut in causis regularium, qui suos habent ordinarios Prelatos  
 regulares, immiscere se non possit in prima instantia, sed demum in gradu appella-  
 tionis, pro ut late refert *Fagnan. incip. de priore num. 19. 31. & 36. de appel.*  
 Alteram autem ordinariam potestatem in Urbe Roma & ejus districtu tan-  
 quam in propria Diocesi exercet Papa per Vicarium Urbis, quem esse ordinarium  
 in eoque locum habere omnia jura de ordinariis loquentia tradit *Vest. in pract. lib.*  
*2. cap. 16. num. 1. Et Rodolphin. lib. 1. cap. 7. num. 75.* Cui proinde tanquam ordina-  
 rio regulares & exempti subiecti non sunt, præterquam in casibus, quibus alias  
 locorum ordinariis subdereatur. Et cum de facto quaereretur, an Bulla Gregoriana  
 XV. quæ prohibentur erigi novi conventus regularium, cum sola licentia ordina-  
 riorum, nisi in eis saltem duodecim religiosi congruè sustentari possint, locum ha-  
 beat in Urbe & ejus districtu, idè quod nullus ibi adesse videatur ordinarius, &  
 consequenter Bulla mentionem faciens de ordinariis, solum procedat quo ad loca ex-  
 tra Urbem; responsum tamen fuit habere locum in urbe, cum ibi ordinarius loci  
 sit Eminentissimus Vicarius. *Rota decis. 54. num. 16. par. 13. recent.*  
 Illud quoque ad quaestionem de ordinariis singulariter addendum, quod si  
 Papa concedit privilegium, ut monasterium aliquod sit exemptum ab ordine suo  
 & ordinariis, intelligi debet de ordinariis religionis, non verò de ordinariis loco-  
 rum, *Rota. decis. 156. num. 8. par. 1. recent.*